D. O. M.

ILL.mo ET REVER.mo D. DOMINO HIERONYMO BERNERIO, S. R. E. CARD. AMPLISSIMO.

Alexandri Donini Corrigiensis Concordium Academici, Logicales, Philosophicæ, ac Medicinales Conclusiones.

ANNVENTE MAG. AC GENEROSO D. D. HORATIO SANTINELLA VRBINATI. Vtriusq; vniuersitatis Philosophorũ, ac Medicorum Priore Dignissimo.



ILL.MO ET REV.MO

D. D. HIERONYMO BERNERIO,

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO.

Alexander Doninus Corrigienſis. S. P. D.



Abet nunc, quod plurimo, eoq; maximo gaudio,& lętitia meus geſtiat animus, Illuſtriſs.& Reuerendiſs. Pręſul, ille ſiquidem, qui clauum & imperium Reip. Chriſtianę tenet, te quem Catholicę religionis propugnatorem ſemper fuiſſe nouerat, omnibusq; animi bonis, ac dotibus vſq; adeo cumulatum, vt & in in virtutibus facem quaſi alijs pręculeris,& pulcherrimarum ſcientiarum Antiſtes, & Protomiſta ſis habitus in purpureorum Pa

trum sacratissimum ordinem vocauit, asciuit, & ad tantę dignitatis fastigium euexit. Sed ratio, qua lætitiam animo conceptam exprimam, non occurrit, etiamsi in omne latus me vertam, proinde neq; oratione aliqua verborum lenocinio phalerata tibi congratulari constitui, nam omnes tibi, & potissimum conciues tui certatim applaudunt, neq; in laudibus, & virtutibus tuis pertexendis immorari, eæ enim in omni ore volitant, & grauiori stylo indigent, sed in communi hac bonorum hominum lætitia signum aliquod perpetuæ meæ in te obseruantiæ edere decreui. Quamobrem Theoremata quędam ex Philosophię, & Medicinę fontibus hausta sub celeberrimi nominis tui titulo in lucem emitto, tibiq; offero, voueo, dedico, partim vt propensissimam meam erga te voluntatem declarem, partim vt in acerrimo hoc conflictu doctrinæ tuæ radijs illustratus difficultatum tenebras discutere, & virtutum ingenijq; tui clypeo tectus aduersariorum ictus excipere valeam. Et me hercle nul-

lum

lum alium video, qui immaturum hunc ingenij mei fœtum te felicius perficere, & splendore sui nominis maiorem labori meo lucem addere posset, nam & dignitate fulges amplissima, & abditissima disciplinarum omnium arcana insigni mentis acie perlustrasti, atq; penetrasti, quo fit, vt quasi mihi polliceri audeam, me te Duce, & Auspice, difficultates omnes superaturum, & Parentum, ciuiumq; meorum expectationi aliqua ex parte satisfacturum. Accipe itaq; Illustriss. Præsul meas has primitias læta ac hilari fronte, sic enim fiet, vt si eas probari à te sensero, aut saltem nō displicuisse, quod optabam, abunde me consecutum esse dicam. Interim Deum Opt. Max. supplex oro, vt te diutissime nobis saluum, & incolumem conseruet. Vale Bononiæ VII. Kal. Februarij. M. D. LXXXVII.

EX

EX LOGICA FACVLTATE.

1 LOgica, quæ secundas notiones in conceptibus rerum fingit, & fabricat,
2 non est scientia.
Est tamen necessaria ad scientias omnes capescendas.
3 In quarum cognitionem cupientes nos peruenire semper aliquid præcognoscere oportet.
4 Cum enim duæ sint præcognitiones quid & quia, triaq; præcognita, Subiectum, Paßio, & Dignitas.
5 In qualibet scientia de Dignitate prænouiße oportet quia est, de Paßione quid, de subiecto autem vtrumq;.
6 Huius quidditatẽ explicat definitio, paßiones uero probat demonstratio.
7 Tunc autem demonstramus, quando ex veris, primis, & immediatis, notioribus, prioribus, & causis conclusionis syllogizamus.
8 Ex veris inquam. quoniam contradictionis, quæ est oppositio, cuius secundum se non est medium, alteram tantum partem sibi determinat demonstratio.
9 Cuius secundum aliquos tres sunt species, quia propter quid, & simpliciter.
10 Nos tamen duas tantum eſſe tueri conabimur.

In

21 
Voniam cuiusq; artis, & scientiæ intereſt ſubiectam, quam tractat materiam omnino cognitam, & perſpectam habere, capropter cum corpus naturale quatenus naturale in naturali ſcientia ſit ſubiectum.

22 In hac habenda cognitione omnes eius cauſas cognoſcere neceſſe eſt.

23 Semper tamen ab vniuerſalibus ad ſingularia procedere oportet.

24 Verſantes autem circa rerum naturalium principia varias ac diſſidentes de ipſorum numero vt minus conſentientes opiniones reijcientes, tria eſſe cum Ariſt. affirmamus.

25 Materiam quidem, Quæ eſt primum ſubiectum, ex quo aliquid fit cum inſit, & non ſecundum accidens.

26 Quæ nullum includit actum, ſed eſt pura potentia, ac proinde per ſe intelligi nequit, ſed per Analogiam.

27 Eſt per ſe ingenita, atq; incorruptibilis.

28 Et proinde omnium formarum permanens ſubiectum, quæcumq; enim natura conſtant, ex ſubiecta materia fiunt, & ex contrario.

B 28 Eſt

28 *Est verò natura principium motus, & quietis, eius in quo est, primo, per se, & non secundum accidens.*

29 *Motus quidem; Qui est actus entis in potentia quatenus in potentia.*

30 *Subiectiue in mobili, non in mouente existens.*

31 *Nec repugnat, quod actio sit in agente, & passio in patiente.*

32 *Proprium enim est materiæ pati, moueriq;, formæ verò agere, & mouere.*

33 *Quis enim negabit omnia naturalia à forma sibi intrinseca moueri?*

34 *Excluso cælo, cuius motus non sit à principio intrinseco.*

35 *Quamuis sit in loco, ex consequenti immobile, æqualeq; locato.*

36 *Et omnium inferiorum ratione temporis, cuius est origo, prima mensura.*

37 *Ad cuius esse concurrit anima nostra.*

38 *Tempus siquidem esse ens rationis, non autem ens reale prorsus existimo.*

39 *Quod generationem, & corruptionem per instans metitur.*

40 *Et hoc ad differentiam motus, in quo successiue terminus à quo deperditur, & terminus ad quem acquiritur.*

41 *Licet*

41 *Licet recipiat denominationem solum à termino ad quem.*

42 *In cuius acquisitione mobile diuiditur in partem per se mouentem, & partem per se motam.*

43 *Neq; hac diuisione priuantur grauia & læuia, quæ & ipsa à seipsis mouentur.*

44 *Hac eadem gaudet cælum, mouetur enim ab Intelligentia.*

45 *A grauitate tamen & læuitate immune est, siquidem omni elementorum mixtione priuatum esse fateri oportet.*

46 *Ita tamen se habet, vt cum ab illis secretum sit, nec enim est elementum simplex, nec ex elementis compactum, eminenter, & virtute ea omnia contineat.*

47 *Est quidem corpus simplex, ideo habet motum simplicem.*

48 *Qui est circularis, eiq; naturalis, cum ratione principij actiui, tum passiui.*

49 *Quo motu solummodo gaudet, quia vnius corporis simplicis est vnus motus simplex.*

50 *Sicuti vnum simplex corpus est vnius simplicis motus secundum naturam.*

51 *Et cum sit animatum, non est animatum anima vegetali, nec etiam sentiente.*

52 *Est tamen præditum anima intelligente, appetente, & mouente.*

65 *Quod tamen in quibusdam fallit accidentibus, neutiquam in substantijs.*

66 *Tenendum tamen in generatione elementorum remanere qualitates symbolas, destruiq; dissymbolas.*

67 *Cum quo stat, Generationem esse mutationem totius nullo remanente sensibili vt subiecto eodem.*

68 *Quoniam vero non satis constat, vtra istarum prior sit generatio vnius, an corruptio alterius, ea propter vt veritas resolutissima habeatur, generationem priorem esse corruptione censendum est.*

69 *Primò quidem in generatione substantiali ab agente in materiam qualitates introducuntur, quibus materia disponitur ad hanc & illam formam suscipiendam.*

70 *Tandemq; forma ex materiæ græmio educitur, ex quo compositum consurgit.*

71 *Id quod primo, & per se generatur, forma vero ex accidenti oritur, & interit ad ortum, & ad interitum compositi.*

72 *Nec officit, quòd in generatione id quod primo oritur, & in esse erumpit, sit forma.*

73 *A qua quidem tota quidditas emanat, omnisq; actio procedit.*

74 *Hac tamen lege, ac conditione, quòd inter similia secundum formam nullo pacto actio, & passio fieri possit.*

75 *Etsi minime negandum sit; non solum à maiori vir tute, sed etiam à minori, & ab æquali prouenire posse.*

76 *Quæ tandem actio ideo soluitur, quoniam omne agẽs in agendo repatitur.*

77 *Agit vero, & repatitur merito qualitatum, inter quas duæ sunt actiuæ calidum, & frigidum, et düæ paßiuæ humidum, & siccum.*

78 *Calidum siquidem congregat ea, quæ eiusdem generis sunt, & disgregat ea, quæ diuersi generis sunt.*

79 *Et frigus congregat & ea, quæ eiusdem, & quæ diuersi generis existunt.*

80 *Humidum vero est id, quod proprio termino non terminatur, cum tamen facile terminari poßit termino alieno.*

81 *Et siccum tandem illud est, quod termino proprio facile terminatur, cũ difficulter terminetur alieno.*

82 *Harum omnium interuentu mixti perfecti fit generatio, Quæ simplex est, & naturalis transmutatio ab ijs virtutibus, cum habeant rationem ex subiecta materia vnicuiq; naturæ.*

83 *Concoctio autem est perfectio à calore naturali, & proprio ex oppositis paßiuis.*

84 *Per quam alimentum alendo corpori redditur idoneum.*

85 *Quod cum iam simile factum est, & in viuentis substan-*

substantiam commutatum, actu nutrimentum dici potest.

86 *Assimilatur autem tale alimentum per calorem naturalem, non autem per calorem extraneum.*

87 *Ab huiuscemodi enim calore fit putredo; Quæ est corruptio eius, quæ in unoquoq; humido proprie, & secundum naturam, caliditatis, ab aliena caliditate.*

88 *Non est autem putredo violenta, tametsi fiat à principio extrinseco, sed est secundum naturam.*

89 *Ab hac caliditate tanquam à causa efficiente animalia, quæ in putredine oriuntur, non producuntur, sed à calore mixti putrescentis generari dicuntur.*

90 *Non quia isti calores natura, & specie inter se distinguantur, quoniam omnes sunt eiusdem speciei.*

91 *Bene verum est, animalia ex semine genita, & ex materia putri esse alterius speciei.*

92 *Est autem animalium species, seu forma anima, quæ in libris de anima est Arist. scopus.*

93 *Ibidem, cum illam definiuerit, dum dixit esse actum corporis, naturalis, potentia vitam habentis.*

94 *Sub tali definitione cæli animam nõ comprehendit.*

95 *Et hoc maxime, quoniam corpus est homogeneum propter eius simplicem operationem.*

96 *Habent vero naturalia corpus ætherogeneum propter diuersas eorum operationes.*

97 *Nutriri*

112 Impassibilis tamen, licet post excellens sensibile non possit debilius aprehendere.

113 Sicuti intellectus, qui vbi circa excellentia versatus fuerit, inferiora non minus intelligit, sed & magis.

114 Commodeq; intelligit seipso etiam, cum post actum intelligendi in eo remaneant species.

115 Quæ cum ipso intellectu faciunt quid vnum, non tantum prout diuersa à seipso, sed prout seipsum etiam intelligit.

116 Non semper tamen seipsum intelligit, etiamsi sit perfectus, atq; singula factus.

117 Prius illustratis phantasmatibus ab intellectu agente maxime nobis necessario.

118 Ille enim est, qui immediate agit in phantasmata abstrahendo ab ipsis speciem intelligibilem.

119 Quæ statim recipitur in possibilem, non quidem per intellectum agentem dispositum, sed ex se.

120 Est autem sic dispositus, quòd primò aptus, natusq; sit cognoscere magis vniuersale.

121 Non tamen illud circa quod versatur Metaph. dum considerat ens inquantum ens.

122 Et omnium quidditates, in vniuersali tamen.

123 De quidditate animæ rationalis non loquitur, eam enim supponit ex Phisico.

124 Considerat quidem operationem intellectus diuersam tamen ab ea, quam considerat Physicus.

Ex

125 *Ex consequio tamen, quatenus loquitur de intelle-ctione Intelligentiarum.*

126 *Quæ ab intellectu nostro intelliguntur sub esse singulari.*

127 *Tametsi indiuiduæ sint, non quidem per aliquod essentiæ superadditum.*

128 *Sed vnaquæq; substantia separata seipsa est indiuidua, & vna numero.*

129 *Et in hoc distinguitur à substantia materiali, cuius vnitatis numeralis causa est materia signata.*

EX MEDICINA.

130 *INdiuidui natura à calore seminis ortum ducit virtute generantis, à quo semen decisum fuit.*

131 *Decidit autem à toto, non à solo capite, neq; à solis partibus genitalibus.*

132 *A toto intelligimus viro, non fœmina, semine namq; caret, vt censuit Arist.*

133 *Iam genitus, & in lucem editus, sanus seruari poterit arte, sex rebus non naturalibus optime administratis, præsertim alimentis.*

134 *In quibus administrandis non solum est consideranda substantia, & Qualitas, sed & Quantitas, & Ordo & Tempus.*

135 *Hoc quidem erit Ventriculo optime exinanito, & cibum appetente appetitu nō solum naturali, sed & animali.*

136 *Quem non in Ventriculo tantum esse credimus, sed & in alijs omnibus partibus sensu præditis.*

137 *Illud verò fiet, si tenues, & molles, post duros, & crassos assumpserit.*

138 *At alimentorum copia maior debetur sanis, quàm morbo laborantibus.*

139 *Et præsertim acuto, cui debetur tenuis simpliciter, siquidem morbus simpliciter acutus fuerit, at peracuto tenuior, tenuissimus verò acutissimo, siue exacte peracuto.*

140 *Hi namq; morbi afferunt nedum mortis periculum, sed velociter mouentur, & sæua habent symptomata.*

141 *Etsi his non sit semper adiuncta febris.*

142 *Quæ ipsamet morbus est, non autem symptoma.*

143 *Cuius gratia maxime cauendum est à medicamentis purgantibus in quolibet morbi tempore.*

144 *Maxime verò in principio nisi materia turgeat.*

145 *Licet tamen eo morbi tempore & mouere, & sanguinem mittere.*

146 *In cuius administratione plenitudinis præcipuè ratio habenda est, non putredinis, neq; morbi magnitudinis.*

147 *Quem-*